

Epistola Patris Mathurin le Petit ad R. P.
Franciscum Retz, Præpositum Gene-
ralem Societatis Jesu, Romæ.

. . . **P**OST multos rumores, tandem facti
sumus certiores P. Antonii Senat
generosam caritatem gloriosa martyrii
corona fuisse donatam eo ipso die (dominica Palma-
rum a 1736) quo comprehensus fuit a barbaris nostræ
gentis hostibus vulgo dictis Tchikakas. Primo mane
in hostiles manus inciderat, sub vesperum in flammis
occubuit. facile potuisset vitæ suæ consulere, statim
atque vidit nostros gallos quorum erat Missionarius
ab hostibus captos aut in fugam versos, sed maluit
se barbarorum furori permittere quam captivorum
animas Zelo suo caras sine ullo spirituali auxilio
relinquere. non defuit quam Speraverat occasio illas
juvandi. Vna cum 23 aut 24 gallis ductus est statim
in quemdam monticulum medio pago dominantem
ubi a barbaris excandescentibus quod bene multos e
suis in conflictu amiserant, objurgationibus, contu-
meliis, ac fustibus impetiti, vestimentis oïbus
ignominiose nudati et sibi tamen pene solis permissi
sunt, quoad gemina lignorum congeries non procul et
sub eorum oculis strueratur ad eos comburendos.

Nullus dubitandi locus quin P. Ant. Senat oppor-